

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema LXXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

tebus non efferamur animo, in aduersis non despondeamus animum.

L o c u s. Agnoscamus, charissimi, immensam Dei bonitatem, infinitam Dei sapientiam.

Nouit Dominus superbum esse cor hominis, Jer. 17. vers. 9. Nouit superbiam semper comitari res secundas. **Unde müssen starcke Sein seyn / die gute Tag ertragen mögen.** Itaque semper miscet tristitia lætis, aduersa secundis, vt semper in timore & tremore operemur salutem. Phil. 2. v. 12. Psalm. 2. v. 11. Exultate in tremore, &c. Et sicut perpetua est vicissitudo diei & noctis, hyemis & æstatis, serenitatis & tempestatis: sic etiam dierum nostrorum. De hac vicissitudine Prouerb. 14. v. 13.

Hæc sæpius cogitantes Deum semper celebremus. Quia si semper essent tempora læta (vt nos quidem desideramus) non cederet hoc ad nostrum commodum. Sic enim facile incideramus in securitatem carnis, & Deum plane negligeremus. Cernimus hoc in impiis, quando Deus illos sinit esse felices, Psalm. 73. vers. 8. Itaque stultum esset hoc à Deo petere. Bonum est, quod miscet tristitia lætis. Psalm. 119. vers. 71. Bonum est mihi. Vicissim autem si Deus nunquam largiretur tempora felicia, desperamus vtiq;e. Ideoque sol interdum nobis oritur. Orandum ergo ex Psalm. 90. vers. 15. & Psalm. 86. vers. 4. Quia autem hic ne ad horam possumus esse certi de futuris euentibus, discamus fastidire terrena & desiderare cœlestia, 2. Cor. 5. v. 2. & Coloss. 3. v. 1. vbi perpetua gaudia, Psalm. 15. v. 11. Apoc. 21. v. 4.

F I N I S.

T H E M A L X X X V I.

Eccles. 12. v. 7.

Pullis reuertetur in terram. Et spiritus ad Deum, qui dedit eam.

S 3

DIS-

DISPOSITIO

Duæ sunt partes hominis substantiales, ex quibus constat, quarum una aut altera deficiente, homo non amplius homo est: hæc sunt corpus & anima. Vtraque pars hominis à Deo creata est. Corpus ex limo terræ formatum: spiraculum vitæ inspiratum à Deo. Sunt hæc duo in vita coniunctissima. In morte quidem separantur, sed ægerrimæ & cum dolore. Post mortem iterum coniunguntur, & post in æternum non amplius separabuntur.

His duobus amicis coniunctissimis homo debet prospicere dum vivit, ut bene ipsis post vitam sit: & pii quidem de hoc omnium maxime sunt solliciti: præsertim ve bene sit animæ, quia si animæ bene fuerit, corpori quoque non male erit. Hoc enim sequetur suam animam suo tempore, quocumque veniat. Docet autem Salomon verbis pauculis sed excellentissimis, quid de his, videlicet de corpore & anima piorum fiet post mortem. De his ordine dicemus. I. de corpore. 1. de anima.

I. Pars.

De corpore sic inquit: *pulvis revertetur in terram.*

1. Pulverem vocat corpus hominis, quia ex pulvere terræ constat.

2. Sicut autem ex pulvere est, ita in pulverem revertetur, & sic redibit ad principium.

Terra enim est mater omnium, quæ nos peperit & ad se recipit, Syr. 40.

3. Neque est quod quis cogitet, primum quidem hominem fuisse de terra: nos vero non item. Etenim à primo homine omnes descendunt, & eiusdem sunt materis cuius ipse. Genuit autem filios suos ad imaginem suam, Gen. 3.

4. Notandum & hoc, quod corpus hominis, quia pulvis est, si maxime non recondatur in terram, tamen in pulverem convertitur. Per se computrescit sicut cadaver, Job. 13. v. 28. & in pulverem tandem vertitur. Multa hinc essent

reserent notanda, quæ tantum attingenda sunt, ne longum fiat.

L. I. Quia pulvis, quid superbit terra & pulvis? Syr. 10. vers. 9. Quin potius humilias te cum Abrahamo: Pulvis & cinis sum, Gen. 18. *Gedenck hinder sich wer du bist Putredo pater, Job. 16. v. 14. Ein sinkender Madensack wirstu. Vermes sorores & fratres, Ibidem.*

II. Quorsum opus sic tenere tractare corpus & curare cuticulam: cum pulvis sit.

Sit sane corpori sua cura, sed non ad concupiscentiam, Rom. 7. versu ultimo Deus non sic venter, Phil. 3. vers. 19. *Wærn must du den Wärmern ein solchen fetten Braten machen.*

III. Non graue tibi sit mori & redigi in puluerem. Quia nil nisi pulvis es. *Es gehet dir nit ärger / als du es zu vor hast. Du bleibst eben wer du bist.* Perinde enim est quicquid de corpore fiat, si animæ recte prospiciatur.

IV. Nimum sumptuosa & superstitiosa atque superflua cura humationis non est necessaria. Quorsum enim opus sic exornare puluerem? Modus seruandus. Recte Syr. 38. v. 26. Corpus illius contege secundum iudicium. *Gebir: sicher weise. Und bestatte ihne ehrl. chzum Grab. Hoc sufficit.*

II. Pars.

Diximus de corpore. At de anima magis nos decet esse sollicitos, quid de hac fiat. Sic ergo Salomon: Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum. Eleganter exprimit omnia.

1. Spiritum vocat animam, sicut scriptura passim, quia spiritualis, inuisibilis, &c. non corporalis. Et quia inspirando accepit homo animam viuentem, Gen. 2. v. 7.

2. Redit spiritus ad Deum. De piis loquitur, qui cum Deo futuri sunt, quem hic coluerunt.

3. Merito ad creatorem redit, & ab illo resumitur, qui dedit eum. Corpus, terræ limus dedit: Deus autem formauit, vt scriptura loquitur. At spiritus a Deo est, qui ipsum dedit & inspirauit, Gen. 2. v. 7. &c.

Itaque semper nobilior & pretiosior est anima, quam corpus. Et ideo in terram non potest resolui, sicut corpus. Quia nihil habet corporci, & à Deo est.

L. I. Discimus animam immortalem esse: quod non tantum Saducei. A. Et. 23. Sed & nonnulli ex Pontificibus Romanis negarunt. At quia apud Deum est, certū quod uiuat. Matt. 22. v. 32. Patet idem ex Sap. 3. v. 1. Luc. 23. v. 35. hodie tecum eris in Paradiso; anima scilicet. Quia corpus sepultum fuit.

Idem ex Psal. 31. v. 6. Act. 7. v. 59. patet. Cupio esse cum Christo, Phil. 1. v. 23. Ideo Christus dicitur Episcopus animarum, 1. Pet. 2. v. 25. Christus autem non est custos earum rerum, quæ non sunt.

Cum Deo itaque esse animas piorum certum est, & angeli portant illas in sinum Abrahamæ, Luc. 16. v. 22.

II. Queritur autem quid faciant animæ? Nonnulli putarunt illas dormire & nihil sentire plane. Videtur idem sensisse Irenæus, lib. 5. c. 26.

Est autem hoc absurdissimum. Si enim sciamus animam uiuere, certum est illam etiam sentire. Animæ enim anima est sensus, ait Tertullianus Lib. de carne Christi, circa medium libri. Mihi folio 24. Exemplaris Basil. uerusti, Anno 21. Et nihil sensuale sine anima, nihil animale sine sensu. Ibidem.

Sic visiones in somno animæ sunt, non corporis. Vide August. Tom. 2. Epistola 100. & 101. ubi ab Euodio Episcopo Augustano proponuntur variæ de anima quæstiones. Recitatur uisio Gennadii Philosophi & Medici, &c.

Quod uero pii dormire dicuntur, & animæ sub altari Apoc. 6. v. 9. iubentur quiescere, istud ad pacem & tranquillitatem & gaudium conscientiarum referendum est. Et animarum requies non in nihil agendo, sed in quiete à molestantiis & miseriis huius mundi consistit. Et clare patet ex Luc. 16. v. 25. quod anima sentiat consolationem.

III. De impiorum uero animabus alia est ratio. Illæ cruciatum sentient, Luc. 16. v. 24. Et horribile iudicium exspe-

expectant, Heb. 10. v. 27. Referuantur ad iudicium, 2. Pet. 2. v. 4. Tum cum corpore iuncta anima cruciabitur,

Vsum huius loci de animæ immortalitate ipse Salomon hoc eodem cap. 12. ostendit: Quia piorum tantum anima redit ad Creatorem, Ergo memento Creatoris, &c. versic. 1. Serua animam puram & sanctam: Sanguine Christi mundatam, 1. Joan. 1. v. 8. 1. Cor. 6. Vide 1. Pet. 1. v. 2. & 2. v. 11. Et commenda illam Domino in tota vita. Psal. 31. v. 6. & in morte, Act. 7. v. 59. 1. Pet. 4. v. 19. Sic anima cum corpore in perpetua viuet gloria. A M E N.

F I N I S.

THEMA LXXXVII.

Eccles. 12. v. 13. ad finem.

*Audiamus, &c. Time Deum & serua manda: a eius,
& que sequuntur ad finem libri.*

D I S P O S I T I O.

Proverbio nostris admodum vsitato dicitur, conciones breuissimas omnibus esse gratissimas. Hoc itaque loco Salomon concinunculam habet breuissimam, quæ tantum quatuor aut quinque verbis, imo fere tantum tot syllabis constat, *Sörcht: Gott; halt s; in Erbott.* Merito itaque debet nobis esse grata. Et tanto magis, quod ipse refert, in his paucis verbis contineri summam *omnis doctrinæ.*

Deinde docet etiam, ad quos hæc totius doctrinæ diuinæ summa pertineat.

Tertio etiam rationem addit, quare firmissime tenenda sit hæc doctrina. Hæc omnia mira breuitate complexus est Salomon, & his verbis finem suo Ecclesiastæ imponere atque sic multa simul docere voluit. Hæc etiam nos in præsentis funere breuiter tractabimus.

I. Pars.

Summam omnis doctrinæ cælestis in hoc consistere
S 5 affe-